Quelle: https://manuscripta.at/?ID=793
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



3 216

In diebus illis Locutus est dominus ad achaz dicens.
Pete tibi signum a domino deo tuo in profundum inferni: siue in excelsum sup. Non petam: et non tentabo dominum. Et dixit Audite ergo domus dauid. Numquid parum uobis uidetur molestos esse hominibus quia molesti estis et deo meo. Propter hoc dabit dominus ipse uobis signum. Ecce uirgo concipiet et pariet filium: et uocabitur eius emmanuel Butyrum et mel comedet: ut sciat reprobare malum et eligere bonum. S. Lucam.
In illo tempore Missus est angelus Gabriel a deo in ciuitatem galilee cui nomen nazareth ad uirginem desponsatam uiro cui nomen erat ioseph de domo dauid: et nomen uirginis maria. Et ingressus angelus ad eam dixit. Aue gratia plena dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus. Quae cum audisset: turbata est in sermone eius: et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei. Ne timeas maria: inuenisti enim gratiam apud deum. Ecce concipies in utero et paries filium: et uocabis nomen eius ihm. Hic erit magnus: et filius altissimi uocabitur. Et dabit illi dominus deus sedem dauid patris eius: et regnabit in domo iacob in eternum et regni eius non erit finis. Dixit autem maria ad angelum. Quomodo fiet istud quoniam uirum non cognosco. Et respondens angelus dixit ei. ~~Spiritus~~ Spiritus sanctus superueniet in te et uirtus altissimi

Et dixit achaz
nome
Maria
in te